

um, & cum concupiscentia, quodque hic morbus, seu
viciū originis vere sit peccatum, damnans & affe-
rens nunc quoque æternam mortem, his qui non re-
nascuntur, per baptismum & spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios qui viciū origi-
nis negant esse peccatum, & vt extenuent gloriam
meriti, & beneficiorum Christi, disputant hominem
proprijs viribus rationis corā Deo iustificari posse.

III.

Item docent, quod verbum, hoc est, filius Dei,
assumpserit humanam naturam in vtero beatæ Ma-
riæ virginis, vt sint duæ naturæ, diuina & humana, in
vnitate personæ inseparabiliter cōiunctæ, vnus Chri-
stus, vere Deus, & vere homo, natus ex virgine Ma-
ria, vere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, vt re-
conciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum
pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus
hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & ve-
re resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, vt
sedeat ad dexteram patris & perpetuo regnet & do-
minetur, omnibus creaturis, sanctificet credentes in
ipsum, misso in corda eorum spiritu sancto, qui re-
gat, consoletur ac viuificet eos, ac defendat aduersus
diabolum, & vim peccati. Idem Christus palam est
rediturus, vt iudicet viuos & mortuos &c, iuxta sym-
bolum Apostolorum.

IIII.

Item docent quod homines non possint iustifi-
cari